EXAMINIS ACTUSQUE ORATORII SOLLEMNIA

IN

GYMNASIO SUNDENSI

DIEBUS I ET II M. OCTOB. H. A.

PUBLICE CELEBRANDA

HUMANISSIME INDICUNT

DIRECTOR ET COLLEGIUM.



1. COMMENTATIONEM DE GRAECAE COMOEDIAE PARABASI CONSCRIPSIT *H. KOESTER*, PH. D.
2. FASTOS GYMNASII COMPOSUIT *DIRECTOR*.

SUNDIAE MDCCCXXXV.

FORMIS OFFICINAE STRUCKII.

Quum nuper selectis nonnullis primae classis juvenibus Aristophanis ranas interpretarer, locos nonnunquam offendebamus, qui, quanquam et ampliore et accuratiore disputatione dignissimi videbantur, tamen horis illis subsecivis non ea, qua par erat, cura et diligentia explicari poterant. Libenter igitur, hac scribendi provincia mihi mandata, eos secundis curis pertractandos mihi sumo; et prae ceteris eum, qui omnium facile gravissimus est, de parabasis natura, qua bene perspecta ad ipsius comoediae naturam illustrandam ejusque primordia cognoscenda aditus patet. Nam, si vel artis vel vitae aliquam partem, et praecipue talem, qualis est Graecorum comoedia penitus cognoscere studemus, non sufficit eam illustrasse, qualis certo quodam tempore comparata erat; sed fontes ipsos, quibus originem debeat, sequamur necesse est. De Graecae comoediae natura et primordiis nonnulli viri docti disseruerunt, permulti ea veluti in transcursu tetigerunt, et sicut in tragoedia, si Thespidis, quem ejus inventorem praedicant, nomen attulerant et trita illa de Choerili, Phrynichi, Aeschyli ceterorumque inventis ad taedium usque decantatis in medium protulerant hominum existimationi se satisfecisse putabant, sic in comoedia, spreta Doriensium comoedia, spretis mimicis illis ludis, e quibus artificiosius comoediae genus profectum est, et Phormidis Epicharmique comoedia tanquam appendice mediae, vel, si dis placet, veteri comoediae annexa, Susarionem comoediae inventorem nobis vendunt; et ab eo simili modo ad Cratetem, Eupolin, Cratinum, Pherecratem, ceteros eorum inventa praedicantes progrediuntur. At nobis non quaerendum est de tragicorum vel comicorum poetarum nominibus, quibus notam quandam censoriam addamus, sed de artis natura et incrementis, de ratione, qua poesis quoddam genus a primordiis inde excultum et ad summum artis fastigium adductum sit. Hoc ita dictum esse volo: ad comoediae historiam bene cognoscendam, comoediae quae tempus tulerunt ceterarumque fragmenta, passim apud veteres scriptores sparsa, diligenter evolvenda sunt, partes earum accurate examinandae, quae sit earum natura et qua ratione inter se cohaereant, ita ut non solum quo tempore et a quonam poeta pars aliqua vel addita vel ademta vel immutata sit doceamus, sed quae antea fuerit ejus ratio demonstremus; praeterea ut comoediam, quae totius vitae imago est ita cum civitatis historia conferamus, ut si fieri potest alteram ex altera certa conjectura illustremus. Hoc quomodo fieri possit et debeat de tragoedia non desunt exempla, de comoedia autem, quae ampliorem praebet sagacitatis exercendae materiem, nihil fere quod nobis satisfaciat ad nos pervenit.

1

Est autem inter comoediae illas partes parabasis, [1]) quae a grammaticis dicitur, chori canticum e variis partibus compositum, quae, quum ob singularem naturam ab omnibus aliis comoediae partibus diversissimam, tum quia veteris comoediae Atticae a media et nova in ea maxime positum esse videtur discrimen prae ceteris digna est, cujus natura accuratius illustretur. De parabasis igitur natura disputaturi, si veterum scriptorum testimoniis destituti justo audacius in singulis rebus constituendis versati esse alicui videremur, ut meliora candide nobis impertire, sin minus, ut his nobiscum uti et aequi bonique consulere velit, quae certiora quam factum erat a nobis constituta sunt, enixe rogamus.

Ab ipsius vocis significatione initium faciendum est. Parabasis a veteribus grammaticis et scholiastis comoediae canticum illud appellatur, quod e variis partibus compositum a choro ad spectatores converso ita canebatur, ut comoediae fabula interrupta poetae personam quasi indueret. Apud ipsos comoediae poetas hujus vocis (*παράβασις*) nullam quidem mentionem fieri videmus, sed

---

[1]) De tragica, quae dicitur parabasi quaestio nimis impedita est, quam quae disputatiuncula tam arctis finibus circumscripta absolvi possit; sed praecipuos locos attulisse, et nostram de ea sententiam paucis exposuisse sufficiat. Notissimus est locus apud Polluc. IV. 111, qui vulgo non bene intellectus huic errori ansam dedit. Euripidem *ἐν Δαναΐσι*, et Sophoclem *ἐν Ἱππονῷ* canticum parabasi simillimum pepigisse. Sed perspicuum est, illud *αὐτὸ πεποίηκεν* non ad parabasim, sed ad „*πρὸς τὸ θέατρον βούλεσθαι λέγειν*" referendum esse, praesertim quum idem Pollux disertis verbis affirmet, parabasim ad tragoediam non pertinere, „*τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν.*" Sed illud concedendum est, chorum tragicum nonnunquam de poeta ejusque rebus ad spectatores verba fecisse, quum loco Pollucis modo allato probetur, et Athenaei XIII. 592 b. testimonio confirmetur, ubi Sophoclem senem Theoridis meretricis amore captum ejus in stasimo (si vera est Casauboni conjectura) ita mentionem fecisse legitur: *φίλη γὰρ ἡ Θεωρίς*! Res sane est mira et singularis, sed etiamsi Sophocles vere ingenio suo ita indulsit, tamen et hoc ipsum a parabasis forma alienissimum. Sed alius locus Athenaei X. 412. a, qui maximi momenti est, demonstrare videtur, sub veteris comoediae finem, mediae initium, quo ipsae comoediae sine parabasi doceri incipiebant, tragoediam eam recepisse. Sunt verba Astydamantis minoris, tragici ex Aeschyli disciplina profecti, (cf. Suidas et Eudocia h. v. Diodor. Sic. XIV. p. 420. Fabricius II. 289) quae et argumento et forma mirum in modum cum parabasi convenire videntur. Nam si binos versus, quales vulgo exhibentur, conjunxeris, perpaucis mutatis metrum efficietur Eupolideum, id quod a nemine adhuc, quantum equidem scio, perspectum esse summopere miror; versus ita constituendi sunt:

× × × ×
– – – – – ∪ ∪ – | – ∪ – – – ∪ –

Ἀλλ' ὥςπερ δεῖπνου γλαφυροῦ ποικίλην εὐωχίαν,
τὸν ποιητὴν δεῖ παρέχειν τοῖς θεαταῖς τὸν σοφόν,
ἵν' ἀπίῃ τις τοῦτο λαβὼν καὶ πιὼν τε καὶ φαγών,
ᾧ χαίρει, καὶ σκευασία μὴ μί' ᾖ τῆς μουσικῆς.

De Astydamante tragico non negligendum Alexidis comoedi judicium apud Athen. I. 33. f.

(Sed haec indicare tantum voluimus, mox de comoediae primordiis et incrementis de hac etiam re pluribus disputaturi.)

παραβαίνειν ad hanc rem significandam dicitur apud Platonem [2]), Aristophanem [3]) aliosque veteris comoediae poetas, qui [4]) idem totius cantici nomine a parte desumto appellant anapaestos. Ad hujus vocis significationem illustrandam, quae a nonnullis in auxilium vocata sunt, παραβαίνειν νόμον, τόπον, extra aliquid incedere, omnino nihil ad ejus vim illustrandam conferunt; nam Aristophanes et qui fuerunt ejus temporis poetae nunquam παραβαίνειν hoc sensu sequente quarto casu dicunt, sed dicitur παραβαίνειν εἰς λέξιν ἐπῶν et ἐς sive πρὸς τὸ θέατρον. Proprie παραβαίνειν nihil aliud significare potest, quam ita βαίνειν, ut propius ad aliquem locum accedas et coram aliquo consistas, quae est prima illa localis praepositionis παρά notio. [5]) Sin quaeras quomodo haec vocis illius significatio ad canticum illud pertinere possit, hoc προληπτικῶς tibi affirmare possumus, chorum, quum ad spectatores verba faceret propius ad theatrum accessisse, quam quum vel saltaret, vel cum histrionibus colloqueretur. Conferendae sunt praeterea voces παρέρχομαι, qua uti solent, de oratore qui in medium progreditur, quod idem eadem significatione apud veteris comoediae scriptores legitur, [6]) et πάρειμι, quod idem significare neminem fugit. Sin est, cui hae voces e forensi dicendi genere desumtae, quanquam comoediam et forum arctissime inter se cohaerere nemini harum rerum perito ignotum est, a comoediae usu alienae esse videantur, vocem πάροδον, quae Aristotele teste primum chori in orchestram [7]) progressum significat, ubi de mutata statione et solutis ordinibus sermo esse nequit, ad scenicam hanc vocis παραβαίνειν notionem illustrandam adhibeat. [8]) Est igitur παραβαίνειν nihil aliud quam in medium progredi, ad spectatores propius accedere ad eosque

---

[2]) Plato ἐν τῷ παιδαρίῳ.

εἰ μὲν μή τι λίαν ὤνδρες ἠναγκαζόμην
στρέψαι, δεῦρ' οὐκ ἂν παρέβην εἰς λέξιν τοιάνδ' ἐπῶν. Vita Aristoph. ed. Küster, p. 14; cf. Suidas v. παράβασις.

[3]) Schol. Arist. pac. 735. Ar. Acharn. 636. Thesmophor. 791.

[4]) Ar. av. 684. nub. 563. equit. 508. Acharn. 634. Pherecrates apud schol. nub. 563, Pollux l. l. schol., Aristoph. pac. 736: πᾶσαν παράβασιν ἀνάπαιστον καλεῖ.

[5]) Vox προβαίνειν, quae legitur Aristoph. eccles. 286: ὥρα προβαίνειν ὤνδρες ἡμῖν ἐστι, non chori progressum ad spectatores, sed ad concionem significat. Hoc igitur inter παράβασιν et πρόβασιν intererit, quod illud chorum saltantem et ad spectatores se convertentem, hoc ad alium locum progredientem significat.

[6]) Eupolis Δήμ. de Pericle ὅποτ' παρέλθοι.

[7]) Nam si chorus non statim per ἁψῖδα in orchestram progreditur, sed prius in scena sive ἐν παρηγορήματι partes suas agit, non est chori parodus. In Aristophanis nub. v. c. chorus ille mulierum, quae teste schol. ἐσθῆτι ποικίλῃ χρώμεναι ἵνα τὰ τῶν οὐρανίων φυλάττωσι σχήματα a monte Parnesso, qui in scena effictus erat, descendunt, recte a scholiasta e cod. Aldin. περίοδον ἑκατέρωθεν facere dicuntur, (schol. 275) non πάροδον, quod vulgo scribitur, et in ranis illae cantilenae ranarum ἐν παρηγορήματι cantari, et v. 319. tandem πάροδον ᾠδῆς τοῦ χοροῦ fieri dicitur.

[8]) Simili modo apud schol. Arist. ran. 700. παρακωμῳδεῖν dicitur, est perstringere aliquem coram populo. Schol. verba adscribere liceat: ἔθος δὲ ἔχουσιν οἱ κωμικοὶ παρακωμῳδεῖν τοὺς τραγικοὺς etc. et singularis apud Pollucem l. l. vocis παρειπεῖν usus animadvertendus est, quae nihil aliud significare potest, quam dicere coram spectatoribus.

converti ut verba ad eos fieri possint, et hac tantum re a *πάρειμι* et *παρέρχομαι* [9]) differt, quod actor *βαίνει* orator autem *παρέρχεται*. H. Kolsterus, vir doctissimus et mihi amicissimus, Aristophanis scholiastae loco: *παραβαίνειν τὸν τόπον ἐς τὸ θέατρον μεταστρέψαντα* deceptus [10]) non ea, qua solet sagacitate et acumine hanc rem perspexit et illustravit. Schoellius in annotatione illa ad Graecarum literarum historiam, ubi de parabasi loquitur, *παραβαίνειν* dicit esse, *changer de place*, cujus viri de his rebus judicium, quale in universum fuerit inde perspici potest, quod tres illas non lyricas parabasis partes versibus anapaesticis conscriptas esse contendit. Sed prima illa vocis *παραβαίνειν* notio eo diligentius servanda et accuratius tenenda est, quia e vulgata ejus significatione ad parabasim translata et scholiastarum nonnullis locis non bene perspectis falsa ista de hujus cantici forma opinio sine dubio originem duxit.

Quae fuerit chori statio antequam ad parabasim se accingeret certis veterum scriptorum testimoniis docemur; num vero eadem fuerit in omnibus chori saltationibus, et in quantum liceat stasimam chori naturam, quae Aristotele teste in tragoedia obtinebat, in comoediam transferre, quum ab hac quaestione alienum sit quaerere longum est, sed hoc verbo monuisse sufficiet, summopere cavendum esse, ne quae de tragico choro tradita sunt, de comoedia quoque dicta esse opinemur, id quod nonnullis viris doctis accidisse facile demonstrari potest, qui ita nimium illustrando, ut nihil illustrarent faciebant.

Chorum quum parodum faceret certo ordine dispositum fuisse, quum rei ipsius natura, tum tragici chori analogia [11]) et diserta veterum grammaticorum testimonia [12]) docent. In comici chori parodo [13]) quatuor erant *ἐν ζυγῷ*, sex *ἐν στοίχῳ* (schol. Ar. pac. 733: *Κρατῖνος δὲ ἐν τῇ πυλαίᾳ δηλοῖ, ὅτι ἕξ ἐστι ζυγὰ τοῦ χοροῦ*) eundem eum ordinem per totam comoediam nonnunquam retinuisse Hesychii loco probari potest, sed hoc semper factum esse, neque hoc loco efficitur, nec omnino verum est. Sed quoties chorus *ἐν τετραγώνῳ σχήματι* illo stabat, anteqnam ad parabasim

---

[9]) Ad ipsam hanc rem significandam verbo *παρέρχομαι* utitur Pollux. l. l. *ὁ χορὸς παρελθὼν λέγῃ ταῦτα.*

[10]) Schol. Aristoph. equit. 508. Scholiastae hujus verba iis quae ad pac. 733. dicuntur illustrari possunt: *παράβασιν δὲ τοῦτο ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ παραβαίνειν τὸν χορὸν ἀπὸ τῆς νενομισμένης στάσεως εἰς τὴν καταντικρὺ τοῦ θεάτρου ὄψιν.*

[11]) Chorum tragicum quum primum orchestram intraret, certo ordine dispositum fuisse Pollucis (IV. 109.) locus certiores nos facit, qui tum *κατὰ ζυγά*, tum *κατὰ στοίχους* parodum factam esse docet. In tragico choro tres erant choreutae in fronte, *ἐν ζυγῷ*, quinque in ordine, *ἐν στοίχῳ*; in comico quatuor et sex, (cf. Hesych. v. *λαυροστάτης*, Photius v. *τρίτος ἀριστέρου.*) Idem Pollux parodum nonnunquam *σποράδην* factam esse tradit, quod de comico quoque choro verum esse non nego, sed eum, antequam ad parabasim progrederetur, in certum ordinem collectum et dispositum esse ex ipso ordine, qui in parabasi obtinebat, conjicitur.

[12]) Aristophanis vita I. apud Beckium. *Ὁ κωμικὸς χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἀνδρῶν κδ′* etc. cf. vita Aristoph. ed. Küst. pag. 14.

[13]) Chorus quum ad parabasim canendam se accingeret, quae forte in manibus erant deponere solebat. Sic in pacis commatio v. 730 chorus ille hominum rusticorum ligones et alia servis servanda tradit, ubi qui sint *ἀκόλουθοι* illi me non intelligere confiteor. Schol. ad hunc locum dicit: *γυμνὸν γὰρ ποιοῦσιν οἱ κωμικοὶ τὸν χορὸν ἵνα ὀρχῆται.*

procederet ordines non solvebat, sed eodem ordine servato conversis jugis ad spectatores *ἀπεστρέφετο*.[14]) Huc pertinent omnes illi comicorum poetarum et grammaticorum loci, ubi de chori ad parabasim conversione sermo est, quin ipsius Platonis locus a schol. nub.[15]) laudatus, unde Suidas[16]) sua desumsit, hoc ita factum esse docet. In his igitur comoediis chori jugum antequam ad parabasim dicendam accederet, ad scenam conversum erat „*εἰς τὴν σκηνὴν ἀφεώρα*" et *στοῖχος* chori interdum dexter vulgo sinister a spectatoribus conspiciebatur.[17]) Si ab hac statione parabasis fit, primum jugum ad spectatores convertitur et progreditur ad eam orchestrae partem, quae spectatoribus propior est, deinde sequuntur eodem ordine secundum, tertium, reliqua.[18]) Nam scholiastae verba (argum. I. Ar. nub.) tam apertam prae se ferunt mirae inscitiae speciem, ut iis certe nemo ad nostram sententiam refellendam utatur. Haec sunt: *ὅτε δὲ ἀπελθόντων τῶν ὑποκριτῶν τοὺς ἀναπαίστους διεξῄει πρὸς τὸν δῆμον ἀπεστρέφετο, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο στροφή.*

Chorum igitur ad parabasim dicendam esse progressum constat, sed quem in locum non liquet, mihi quidem verisimile est, eum ad thymelen accessisse, quae in media orchestra posita erat; et ita quidem, ut tertii jugi locus, qui a Photio l. l. chorago tribuitur ei proximus esset, et chori ordines a dextra thymeles parte explicarentur.[19])

Alterius chori ordinis Hephaestio[20]) mentionem facit, cujus verba haec sunt: *ἔστι δέ τις ἐν ταῖς κωμῳδίαις καὶ ἡ καλουμένη παράβασις, ἐπειδὰν εἰςελθόντες εἰς τὸ θέατρον καὶ ἀντιπρόςωπον ἀλλήλοις στάντες οἱ χορευταὶ παρέβαινον καὶ εἰς τὸ θέατρον ἀποβλέποντες ἔλεγόν τινα.* Quae verba vexa-

---

[14]) Dicitur *στρέψαι, ἀποστρέφεσθαι, καταφέρεσθαι καταλαμβάνεσθαι* et *ἐπιστρέφεσθαι*; eadem vox apud Athen. XIV. 623. c. de Ithyphallorum conversione legitur.

[15]) Schol. nub. 1113.

[16]) Suidas v. *παράβασις, ἄμφω σημάνας καὶ τὸ στρέφεσθαι καὶ τὸ παραβαίνειν.*

[17]) Sed confirmare videtur hanc sententiam schol. Arist. equ. 411.: *ἑστᾶσί μὲν γὰρ κατὰ στίχον* (corrig. *στοῖχον*.) *οἱ πρὸς τὴν ὀρχήστραν ἀποβλέποντες, ὅταν δὲ παραβῶσιν ἐφεξῆς ἑστῶτες καὶ πρὸς τοὺς θεατὰς βλέποντες τὸν λόγον ποιοῦνται.* Vox *ἐφεξῆς* enim hoc loco non de omnibus choreutis, sed de primo tantum jugo accipienda est

[18]) Argument. I. nub. et *περὶ κωμῳδίας* apud Becck. IV. Alterum e priore descriptum et in utroque verba *τῷ νῦν λεγομένῳ λογείῳ* (*λογίῳ* apud scriptor. argum. nub.); nam orchestra nunquam dicta est *λογεῖον*, quanquam posteriore tempore pulpitum orchestram dictum esse constat, quia in eo thymele constituta erat et chorus ibi saltabat. Sunt igitur haec verba, sive indocta librarii manu intrusa, sive ab ipsius scriptoris errore profecta esse existimas, sine dubio corrupta.

[19]) Parabasim ad thymelen pertinuisse, tum ex ipsis comici chori initiis conjici licet, tum disticho illo apud Platonis schol. apparet:

Βάπτεις μ' ἐν θυμέλῃσιν ἐγὼ δὲ σὲ κύμασι πόντου
Βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτάτοις.

Ceterum non solutos fuisse chori ordines nec propius ad spectatores eum progressum esse inde colligi potest, quod initium commatii vulgo ad histrionem directum, eodem nimirum ordine, quo antea constitutus erat, chorus canebat, deinde duobus nonnunquam versiculis cantatis ad parabasis stationem pervenit.

[20]) Hephaestio p. 71.

tissima, ab interpretibus varia ratione illustrata, equidem ita explicanda censeo. De hemichoriis sermo est, quae *ἀντιπρόςωπον ἀλλήλοις* stant et, scholiasta ad equit. 593 teste, ita composita erant, ut ab altera parte tredecim ab altera undecim saltarent. Hic dubitari nequit quin choragus inter tredecim illos fuerit, ideoque eorum ordines ad parabasim faciendam ita conversos esse affirmare nullus dubito, ut hic prius tredecim progrederentur, deinde illinc undecim eos sequerentur, omnes vero sic disponerentur, ut idem *σχῆμα τετράγωνον* efficerent. Quod ita factum esse schol. Ar. pac. l. l. testatur: *ἐστρέφετο δὲ ὁ χορὸς καὶ ἐγίνοντο στοῖχοι* (sic pro *στίχοι*) *δ'*. Nam hoc loco de altero illo parabasis genere sermonem esse, e vocis *ἐγίνοντο* notione apparet. Haec igitur Hephaestionis verba non de omni parabasi vera sunt, sed de iis tantum, ubi chorus bipartitus parabasim facit. Conversionem illam a choro commation canente factam esse inde apparet, quod primi commatii versus vulgo ad histriones diriguntur, quibus eos e scena decedentes comitantur, posterioribus se invicem ad anapaestos canendos exhortati ad ipsos spectatores verba faciunt. Constituta est igitur hoc modo chori statio absoluto commatio. Contra hanc sententiam erunt fortasse, qui thesmophoriazusarum parabasim afferant, sed praeterquam quod haec ipsa manca est, quum praeter commation, antistropha et antepirrhemate careat, participium illud *παραβᾶσαι* progressum jam factum esse demonstrat; et fortasse Mnesilochus proximis versibus chori progressum ad parabasim ita comitatur, ut quod ille de litteris tabulae incisis dicit de choreutis accipiendum sit. Facetum sane esset de choreuta *ῥῶ* dictum:

οἴμοι,
τουτὶ τὸ ῥῶ μοχθηρόν
χωρεῖ χωρεῖ ποῖαν αὔλακα;

Chorum per ipsam illam, quae proprie parabasis dicitur partem stationem hanc tenuisse certum est, eamque ob causam rectius ab ipsis comicis poetis anapaesti dicuntur, quum finito commatio parabasis jam facta sit. In macro chorum hanc stationem non reliquisse verisimile est, sed fortasse hoc ab omnibus choreutis canebatur, quum anapaestos a solo chorago in thymele stante cantatos esse persuasum habeam. Strophe [21]) sinistrorsum fiebat et in ea chori ordines nonnunquam solutos fuisse non est cur omnino negem, quum a Phrynichi [22]) tempore inde chori ordines saepius, quam antea factum erat solutos esse schol. Aristoph. ran. 700 testetur, sed ea absoluta chorus ad priorem stationem revertebatur, ibique choragus epirrhema dicebat, deinde antistropha dextrorsum fiebat et antepirrhema, ultima parabasis pars, in anapaestorum statione pronuntiabatur, nam non cantatum esse epirrhema, quum ex ejus origine et natura recte conjicitur, tum Pollucis l. l. verbis perspicuum est: *τῇ δὲ στροφῇ ἐν κώλοις προασθείσῃ τὸ ἐπίῤῥημα ἐν τετραμέτροις ἐπάγεται.* Quae enim a grammatico quodam, chorum in parabasi septies [23]) ad septem theatri partes con-

---

[21]) Schol. nub. 563: *τοῦτο ᾠδὴ καὶ στροφὴ ὀνομάζεται, διὰ τὸ στροφήν τινα ποιεῖσθαι τὸν χορὸν ἀπὸ τοῦ πρὸς τοὺς θεατὰς ᾄδειν καὶ ὁρᾶν εἰς ἕτερον ἀφορῶντα μέρος.* (proxima verba sunt corrupta.)

[22]) *Τινὲς δὲ τοῦτον* (Phrynichum) *κωμικὸν ποιητὴν λέγουσιν, ὃς κινομένους τοὺς χοροὺς εἰςῆγε καὶ παλαίοντας.*

[23]) Aristoph. vit. ed. Küster l. l.: *ἀναχορούντων δὲ τῶν ὑποκριτῶν ἑπτάκις ἐστρέφετο ὁ χορὸς, προσέχων ἐφ' ἑκάτερα μέρη τοῦ θεάτρου.*

versum esse narrantur, e scholiastarum more, quia septem sunt parabasis partes ficta esse inde apparet, quia, id quod supra vidimus, chorus eandem stationem in commatii fine et anapaestis obtinebat, quia non perspicio, quomodo alia esse potuerit in anapaestis, alia in macro, quum haec nonnunquam uno tenore pronuntiata sint, quia denique chorus ad eundem locum in stropha et antistropha redibat. In syzygiis epirrhematicis parabasim alio modo factam esse perspicuum est. In iis chori illa conversio in stropha fieri solebat, in epirrhemate chorus anapaestorum stationem obtinebat. [24])

Hac ratione chori in parabasi conversionibus in universum constitutis inceptae disputationis ratio ad singulas ejus partes accuratius examinandas et ad metrorum saltandique rationem illustrandam ducit. Commatii, quod a scholiasta ad Arist. vesp. 1045 recte *προκήρυγμα τῆς παραβάσεως* vocatur prior pars ad histriones abeuntes dirigebatur, altera a choro anapaestorum stationem occupante canebatur. [25]) Vocem ipsam *κομμάτιον* veteris comoediae poetis non ignotam fuisse Hephaestionis [26]) loco docemur: *Τὰ δὲ εἴδη τῆς παραβάσεώς εἰσι ταῦτα· κομμάτιον, ὃ καὶ τοῖς παλαιοῖς ποιηταῖς ὠνομάσθη, φησὶ γὰρ Ἔυπολις.*

εἰωθὸς τὸ κομμάτιον τοῦτο.

Significat haec vox cantici particulam, idem tragoediae *κόμμα* [27]) illud esse videtur, quod Aristotele teste threnum significat, quem histriones et chorus una voce canebant, nisi hujus vocis originem a *κόπτεσθαι* ita repetere mavis, ut in ea ejulandi notio insit. Iis quae exstant commatiis apparet, metrum ex ipsius cantici natura bipartitum esse, et priorem illam partem *προπεμπτικὴν* dictam esse, schol. equitum 501, ubi Sophoclis Jolaus in commatio perstringitur, certiores nos facit. In nubium commatio verbi causa tertius versus hephthemimeris Aristophanea aperte prioris partis clausula est, altera eodem metro clauditur, in qua ad aëriam chori naturam depingendam metrum choriambicis numeris assurgit, quibus chorus vehementiore gradu incedens uti solet. In avium commatio glyconeis numeris maximam partem conscripto duae hae partes non tam accurate disscerni possunt, sed non dubito quin versus sextus glyconeus prioris clausula sit. Pacis commation quinque tetrametri anapaestici efficiunt, sed de hoc et thesmophororum parabasi infra pluribus dicendum erit. Pherecratis commatii posterior pars servata est apud schol. nub. 563 et Hephaestio-

---

[24]) Sin quaeras quaenam parabasis forma antiquior sit, utrum *τελεία* an syzygia epirrhematica, de hac re infra dicendum erit, equidem hanc antiquiorem esse opinor, quum ob simplicitatem quandam quae artis primordiis magis consentanea videtur, tum ab trochaicos tetrametros, antiquissimum illud comoediae metrum (Welcker: Nachtrag zur Trilogie) et haud scio an Pherecrates *Κοριαννοῖ* hanc anapaestorum in comoedia inventionem praedicet, quos illo fere tempore comoediae vindicatos esse opinor.

[25]) Commatii initium in nubibus choro ad Strepsiadem converso hoc est: *ἀλλ᾽ ἴθι χαίρων τῆς ἀνδρείας εἵνεκα ταύτης*, in equitibus *ἀλλ᾽ ἴθι χαίρων καὶ πράξειας*, in vespis *ἀλλ᾽ ἴτε χαίροντες*.

[26]) Hephaestio l. l.

[27]) Idem apud scholiast. Aristophan. Lysistrat. *κοπετὸς* dicitur, quod ejusdem originis est.

nem p. 101. *Φερεκράτης Κοριαννοῖ.* Metrum est *Φερεκράτειον* [28]) *ἑφθημιμερές*, – – | – ◡ ◡ – – –:

Ἄνδρες πρόςσχετε τὸν νοῦν
ἐξευρήματι καινῷ
συμπτύκτοις ἀναπαίστοις.

Sed haec divisio in equitum et vesparum commatio quam maxime apparet. Equitum incipit ab anapaestis sequuntur logaoedici dactylici, clausula est dimeter anapaesticus catal., altera pars anapaestis ad priorem annectitur, clausula est dimeter trochaicus. [29]) In vesparum commatio initium fit a choriambis, et primo versu *προπεμπτικὴ* illa finitur, sequuntur anapaesti, jambicus trimeter, dipodiae trochaicae, clausula est dimeter trochaicus. [30])

In omnibus igitur his commatiis *ἐμβατήριον* metrum praevalere apparet, quo id, quod supra de chori statione et conversione docuimus, mirum in modum firmatur. De saltandi genere, quum veteres interpretes et scriptores qui hanc rem attigerunt omnes taceant, nihil certi efficietur, hoc

---

[28]) Vulgo *πρόσχετε.* Ex Hermanni conjectura (elem. doctrin. metr. p. 603) *πρόςσχετε.* De qua nova inventione hic loquatur Pherecrates, quum nulla alia hujus parabasis pars ad nos pervenerit, non constat. Apud Pherecratem in commatio versum Pherecrateum non insolitum et inauditum fuisse putem, etiamsi Hephaestio aliter judicasse videtur, nec magis placet Hermanni opinio, quam Pindari scholiastae loco probare studet, novum quod hoc loco Pherecrates praedicaverit inventum spondiacos anapaestos esse. Fortasse *σύμπτυκτοι ἀνάπαιστοι* illi de ipso Pherecrateo metro dicuntur: ◡◡ – ◡◡ ◡◡ ◡◡ –, et recte dicuntur complicati, quum vix anapaestica hujus metri natura perspici possit, quam in comoedia interdum, anapaesticis numeris interpositum, habuisse videtur.

[29]) Hujus commatii metrum sic constituo:

– ◡◡ – – | – – – –
◡◡ – ◡◡ – | – ◡◡ – –
– – ◡◡ – | ◡ – ◡ – –
– ◡◡ – ◡
◡◡ – – – – –
◡◡ – ◡◡ – ◡
– – – – ◡ ◡ ◡◡ – –
– ◡ ◡ – –
– – – – | – – – –
– ◡ – – – ◡ – –

[30]) Vesparum commation:

– ◡ ◡ – | – ◡ ◡ – | – – ◡
– – ◡ ◡ – | – – ◡ ◡ ◡
◡ ◡ – – –
– – ◡ – – – ◡ – – –
– ◡ – – | – ◡ – ◡
– ◡ – ◡ – ◡ – – – ◡ – –
– ◡ – – – ◡ – –

tamen mihi tam certum est quam quod certissimum prioris partis saltationem a posterioris plane diversam fuisse et hanc embaterii naturam habuisse. Tota parabasis ad tibiarum modulationem interdum dicebatur si scholiastae avium 682 fides.

De parabasi, quae proprie dicitur, quum jam supra dictum sit, de metrorum ratione, quibus conscripta erat, ut dicamus restat. Sunt tetrametri anapaestici, [31]) sive Eupolidei [32]) sive Cratinei [33]) sive epionici polyschematisti [34]). Anapaesticis numeris praeter Aristophanis fere omnes, Eupolidis caprarum (*αἶγες*) parabasis conscripta erat, ubi *χορὸς* ille *προβατικὸς* de cibi copia jactans inducebatur. Tetrametros anapaesticos, antiquissimum illud Lacedaemoniorum [35]) metrum, quum diserto Mar. Victorini testimonio ab Epicharmo et Cratino primum in comoedia usurpati

---

[31]) Tetrametris anapaesticis conscripta erat Cratini Chironis parabasis; (cf. schol. av. 766.) et Pherecratis agriorum.

[32]) Eupolideo metro Pherecratis *κραπατάλων* parabasis, cujus fragmentum legitur apud Athen. XI. p. 485. d., quod ita constituo:

τῶν θεατῶν ὅστις ἂν
δίψῃ ——————
τὴν λεπαστὴν λαψάμενος μεστὴν ἐκχαρυβδίσαι.

Persarum Pherecratis parabasis (apud Ath. III. p. 78. d., ubi *περιμάττομεν* versu secundo in *περιμάττωμεν* mutandum est) et Eupolidis Maricae eodem metro conscripta est.

[33]) Eupolidis *ἀστρατεύτων* parabasis.

[34]) Eupolis *χρυσῷ γένει* apud Hephaest. p. 60. Eupolidis incertae comoediae fragm. ap. schol. equit. 1301. De Eupolidis *ἀστρατεύτων* parabasi, quae Cratineo metro conscripta est:

Ἄνδρες ἑταῖροι δεῦρο δὴ τὴν γνώμην προςίσχετε,
εἰ δυνατόν, καὶ μή τι μεῖζον πράττουσα τυγχάνει.

Hermanni opinio (elem. doctr. metr. p. 583.) omnino neque ullis nititur, argumentis, neque analogia: huic parabasi versum illum, qui infra apud Hephaestionem laudatur additum fuisse:

Καὶ συνεγιγνώμην ἀεὶ τοῖς ἀγαθοῖς φάγροισιν.
— ∪ ∪ — ∪ — ∪ — | — ∪ ∪ — ∪ — ∪

Nam semper anapaestos eodem metro decurrere constat. Est hic versus ex ejusdem parabasis epirrhemate desumtus Priapeus. Eodem metro Eupolidis *κολάκων* epirrhema conscripta erat, cujus sedecim versus apud Athen. p. 236. e. leguntur:

Ἀλλὰ διαίταν ἣν ἔχουσ᾽ οἱ κόλακες πρὸς ὑμᾶς.

```
   × | ×   :     |     |   × | ×   :     |
 — ∪ | ∪ — : ∪ — | ∪ — | — ∪ | ∪ — : ∪ — | —
   × | ×   :     |     |   × | ×   :     |
 — ∪ | — ∪ : ∪ — | ∪ — | — ∪ | — ∪ : ∪ — | —
```

Recte igitur Hermannus miratus est, quod Hephaestionis aliorumque grammaticorum tanta fuit imperitia, sed nos eodem jure miramur, quod ipse parabasis naturam tam parum perspexit, ut talem *μεσῳδὸν* in parabasi nunquam locum habere nesciret.

[35]) Hoc metrum, quale ab Aristophane prae ceteris excultum apud commoediae scriptores reperitur a Lacedaemoniorum embaterio illo diversum esse constat, sed ejusdem certe originis est. Apud Pherecratem et ipsum Aristophanem priorem tetrametri partem saepe ita compositam reperimus: — ∪ ∪ — — — ∪ ∪ — —, ut Pherecratis versus prototypon contineat.

sint, in parabasi quoque non ab initio inde locum habuisse certa conjectura efficitur, et priores parabasis versus trochaicos fuisse verisimile est, quod eo verisimilius etiam fit, quia Eupolidei versus a trochaicis orginem duxerunt. [36]) Ceterum de metro nihil habeo quod moneam, diaeresis est in quarti pedis fine, spondei in omnibus excepto septimo pede locum habent, dactyli praecipue primo et tertio ita ut secundus et quartus spondei sint; nonnunquam etiam secundo et quinto, rarissime tantum sexto, et quarto nunquam, quia anapaesticum metrum eo turbatur, nisi forte poeta eo consilio iis utatur, ut turbato metro spectatorum animos certo quodam modo commoveat. [37]) Proceleusmaticus in prima sede invenitur, sed haud scio an loci illi corrupti sint, quod de iis ubi trochaeus pro anapaesto legitur affirmare nullus dubito.

Macrum anapaestos sequitur, tertia parabasis pars, quae *πνῖγος* alio nomine appellatur. Hephaestionis verba, quae vulgo corrupta leguntur, sic constituenda sunt: *Καὶ τρίτον τὸ μακρὸν προςαγορευόμενον, ὃ μὲν οὐκ εἶναι ἐπιμηκέστερόν φαμεν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀπνευστὶ λέγεσθαι ἐδόκει εἶναι μακρότερον.* Nam quae sunt e vulgata lectione verba, *ὃ καί φαμεν εἶναι ἐπιμηκέστερον* falsa esse eo apparet, quod macra illa quae ad nos pervenerunt brevia omnino sunt, id quod Pollux his verbis confirmat: *τὸ δὲ ὀνομαζόμενον μακρὸν ἐπὶ τῇ παραβάσει βραχὺ μελύδριόν ἐστιν, ἀπνευστὶ ᾀδόμενον.* Macrum igitur erat canticum perpaucis versibus compositum, sed tanta vocis intentione cantatum, ut iis qui canebant longius esse videretur, et hanc ab causam *πνῖγος* dictum est. [38]) Macri numerus est anapaesticus, sunt dimetri, penultimus versus *ὀναπαιστικὴ βάσις*, ultimus catalecticus, vulgo primo et secundo loco spondeum, tertio anapaestum habet et a schol. *κατακλεὶς* dicitur. Omnes in systemate conjuncti ita ut neque syllabam ancipitem neque hiatum in versuum finibus admitterent, verborum divisionem autem paterentur, quia omnes uno tenore pronuntiari solebant. [39]) De macri saltandi genere praeter ea, quae jam antea dicta sunt, nihil habeo, quod addam.

---

[36]) De metro, quod Eupolideum dicitur: – ∪ – ∪ – ∪∪ – – ∪ – ∪ – ∪ – (× above the 1st, 2nd, 4th and 5th ∪) recte schol. nub. l. l. judicasse putandus est, vel certe cogitasse, (verba enim paulo obscuriora sunt) Eupolideum metrum e trochaico tetrametro, antiquissimo illo comoediae metro originem duxisse, tertio et quarto pede ita affectis, ut semper choriambum efficerent, et trochaica versus natura in clausula tantum conspicua (cf. schol. ad 518.)

[37]) Nam rectissime Terentianus apud Priscianum (de metr. Ter. p. 231.) dicit, quod iis, qui de comicis metris disserunt iterum iterumque in memoriam revocandum est, ne quod arte in metris peccatum sit, inscitia factum esse putent:

In metra peccant arte non inscitia,
Ne sint sonora verba consuetudinis
Paulumque versus a solutis differant.

Hujus rei exempla quum sexcenta apud comoediae poetas inveniantur, unum tantum, quod ab ipso Prisciano laudatur ex Eupolidis baptis desumtum afferam, ubi quam ob causam jambicus numerus in versuum fine turbatus sit facile apparet:

Ἀνόσια πάσχω ταῦτα ναὶ μὰ τὰς νύμφας
Πολλῷ μὲν νῦν δίκαια ναὶ μὰ τὰς κράμβας.

[38]) Aristoph. schol. nub. 518, av. 723, vita Aristoph. l. l.

[39]) Equitum macrum ita constituendum est:

Examinata hoc modo trium parabasis partium, quae *ἁπλᾶ* dicuntur, forma, ad eas pervenimus, quae *κατὰ σχέσιν* [40]) dicuntur, et ab aliis quatuor, ab aliis sex numerantur. Inveniuntur enim nomina, stropha et oda, antistropha et antoda, epirrhema et antepirrhema; denique de cantico illo paucis dicendum erit, quod epirrhemati nonnunquam, ut in pace Aristophanis factum esse scimus, annectitur.

Voces *ᾠδὴ καὶ στροφή*, quanquam nonnullis locis dicitur *ᾠδὴ ἢ στροφή*, non possunt quin suspicionem nobis moveant, an altera ab altera diversa, utraque autem ejus cantilenae quam parabasis stropham diximus pars sit, nisi forte hoc canticum, tum nomine a canendi ratione desumto, tum a chori mutata statione odam et stropham dictum esse contendis. [41]) Totum canticum e tragoediae ipsiusque comoediae strophicorum carminum analogia stropham dictum esse non nego, sed priorem illam strophae partem, quae deorum auxilium implorat, odam dictam esse contendo, alteram arctiori sensu stropham. In oda illa preces ad deum aliquem dirigebantur [42]), sed ita ut Euripidis, vel Pindari, vel Stesichori, vel dithyramborum alicujus poetae [43]) canticum paulo immutatum transscriberetur et in risum detraheretur; et perpaucis odis exceptis haec deorum invocatio ironice accipienda est. Ut quae de odae et strophae discrimine docuimus exemplo illustremus, Aristophanis pacis, prioris parabasis stropham v. 776 paulo accuratius perscrutemur. Scholiastes ad hunc locum dicit, esse *στροφὴν καὶ ᾠδὴν* et postea, quanquam de singulis rebus quae loquitur non omnia perspicua sunt, hoc aperte dicit: versu quinto finito partem priorem quae antistrophae parti alicui responderet finitam esse, et quae de Carcino dicerentur cum antecedentibus non cohaerere. Priora, de quibus alio loco locuti sumus, e Stesichori Orestea desumta sunt. In Acharnensium stropha v. 672. a scholiasta nulla fit odae mentio, et equidem hanc unam ex iis esse existimo, quae ea vere destitutae erant. Fortasse duo priores strophae versus, quibus Acharnensis Musa invocatur, odam esse dixeris, in antistropha autem nihil est, quod his respondeat. Sed ut hujus etiam strophae rationem exemplo illustremus, ejus numeros paulo accuratius examinemus. Metrum est omnino creticum, et haec stropha prae ceteris apertum praebet documentum, quomodo versus illi paeonici, qui in compendiis feruntur, ad creticos numeros reduci possint et debeant. Scholiastes de metro hoc dicit: *αἱ μὲν μελικαί εἰσιν κώλων ιά παιωνικῶν, ὧν τὰ μὲν πρῶτα*

———

◡ ◡ – – – – – – – –
◡ ◡ – – – ◡◡ – – –
◡◡ – – –
– – – – ◡ ◡ – –

Cf schol. ad av. l. l., Acharn. 636., pac. 766.

[40]) Schol. nub. 518.

[41]) Corrigendus est igitur locus apud schol. av. 760: *ἡ ἀντῳδὴ καὶ ἀντιστροφὴ ὁμοία καθ' ἕκαστόν ἐστι τῇ στροφῇ καὶ ἀντιστροφῇ*; legendum enim est, id quod quisque vel non monitus videbit: *τῇ ᾠδῇ καὶ στροφῇ*. Equidem ea quae vulgo scribuntur, non intelligo.

[42]) Quod in nubium antoda scholiasta teste factum est, qui ad verba *ἀμφί μοι ἄναξ* haec dicit: *μιμεῖται δὲ τῶν διθυράμβων τὰ προοίμια· συνεχῶς γὰρ χρῶνται ταύτῃ τῇ λέξει διὸ καὶ ἀμφιάνακτας αὐτοὺς ἐκάλουν.*

[43]) Schol. nub. 563: *Ἔστι δὲ ὡς ἐπὶ πλεῖστον εἰς θεοὺς ἡ ᾠδή.* Cf. infr. 599, et av. 737 et 1088.

γ τρίῤῥυθμα τὸ δὲ δ' δίῤῥυθμον· εἶτα ἐν εἰςθέσει τετράῤῥυθμα δύο καὶ ἐν ἐκθέσει τρία μὲν δίῤῥυθμα ἓν δὲ τρίῤῥυθμον, [44]) ubi quid sibi velint *εἴςθεσις* et *ἔκθεσις* non video, nisi hoc etiam loco scholiasta priores quinque versus odam esse putavit, unde versu sexto *εἴςθεσις* ad stropham fieret.

Jam quod restat ad hanc de parabasis forma disputationem ad finem perducendam, de quinta parabasis parte dicendum est, quae *ἐπίῤῥημα* vocatur et ex earum numero est, quibus *κατὰ σχέσιν* uti solent comici poetae. Respondet epirrhemati, antistropha scilicet vel antoda interposita, antepirrhema. De chori statione et conversionibus in epirrhemate et antepirrhemate, quae conjectura effici poterant jam supra proposuimus, atque hoc eo confirmatur, quod chori conversio illa *ἐκτροπή* vocatur et *ἐκτρέπεσθαι εἰς τὸ ἐπίῤῥημα.* [45]) Epirrhema quoque a choro e poetae persona quodammodo dictum esse, ex ipsis quae ad nos pervenerunt parabasibus perspicuum est, et schol.[46]) verbis corfirmatur; dicit enim de hac parabasis parte: *ἔθος γὰρ ἐν τῷ ἐπιῤῥήματι χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει ἢ ἐλέγχειν τοὺς πονηρευομένους, ὁ δὲ λόγος ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ καίτοι δοκῶν χοροῦ εἶναι.* Epirrhematis metrum arctioribus finibus, quam ceterae parabasis partes circumscriptum est: sunt sedecim versus trochaici tetrametri catalectici in omnibus, quae ad nos pervenerunt Aristophanis comoediis, sed alia metra in eodem a poetis adhibita esse jam supra de Eupolidis *ἀστρατεύτοις* et *κόλαξι* vidimus, ubi sedecim versus Priapei in epirrhemate erant. Praeterea Pherecratis *κραπατάλων* epirrhema, cujus pars servata est apud Photium et Suidam [47]), glyconeis polyschematistis compositum erat. [48]) Hos versus e parabasi desumtos esse ipse Runkelius vidit, sed ad epirrhematicam ejus partem eos pertinere affirmare nullus dubito:

Τοῖς δὲ κριταῖς
Τοῖς νυνὶ κρίνουσι λέγω, μὴ 'πιορκεῖν μηδ' ἀδίκως
Κρίνειν, ἤ, νὴ τὸν Φίλιον, μῦθον εἰς ὑμᾶς ἕτερον
Φιλοκράτης [49]) *λέξει, πολὺ τούτου κατηγοριστότερον.*
– – – – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ – – – ⏑ ⏑ –

---

[44]) Numeri sic sunt constituendi:

– ⏑ – – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ – – ⏑ –
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – – ⏑ –

– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ –
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑
– ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – – ⏑ –

[45]) Schol. Aristoph. nub. 596.

[46]) Schol. ran. 356, (cf. nub. schol. 1109.)

[47]) Photius v. *Φίλιος*; Suidas eod. verbo.

[48]) Verbo monuisse sufficiet, locum apud Küster. nub. argum. non de epirrhemate jambicis numeris conscripto, sed de iis, quae veteres *ἰάμβους* dixerunt, intelligendum esse, id quod Kolsterus p. 46. bene perspexit.

[49]) Meinekius misc. comm. I. 20. *Φερεκράτης* conjecit, quod a comicorum loquendi usu summopere abhorret. Olim in mentem mihi venit: *ὁ Κράτης* vel Philonides; sed nihil mutandum est.

In epirrhematis et antepirrhematis fine apud Aristophanem in pacis epirrhematica syzygia terni versus leguntur, qui iis tanquam clausulae adduntur, [50]) quod, quum in nulla alia quae tempus tulit comoedia factum sit, quid hoc loco sibi velit, dubitari potest; equidem chorum eandem quam antea habebat stationem tenuisse persuasum habeo. Sunt duo dimetri trochaici acatalecti, tertius catalecticus.

Est igitur parabasis veteris comoediae canticum, quod a choro ad spectatores converso ex ipsius poetae persona canebatur, et ipsa sine ulla dramatis forma et indole, nisi epirrhematicam illam partem dramaticam esse dixeris, dramaticae comoediae actioni interponebatur. [51]) Aristophanis parabasis ex ipsius ejus comoediae indole tota fere politica est, ipsa singulorum virorum vellicatio, quae praecipue in epirrhemate locum habet, unde a veteribus *ἰαμβεῖα* dictum est, ad rempublicam referebatur, et in ipsis melicis parabasis partibus politicus ille Aristophanis character ita praevalebat, ut quae ad singulorum hominum irrisionem, quae de priscorum hominum disciplina, quae de poetarum vitiis, denique quae de universa artis depravatione dicerentur de ipsa civitate dicta vel certe ad eam referenda esse viderentur. Sed omnium parabasis partium ut ita dicam maxime politica est ea, quam anapaestos dixerunt ipsi comici poetae; et fortasse id quod jam antea indicavimus, belli Peloponnesiaci initio inventa et a politicae comoediae poetis, inter quos Eupolis, Pherecrates et Aristophanes primum locum obtinent, antiquiori illi epirrhematicae syzygiae addita est. Politica enim comoedia initio belli Peloponnesiaci orta est; ubi omnium civium studia ad rempublicam dirigebantur, et sub ejus finem post Morychidis, Syracusii, Antimachi, aliorum conatus mediae comoediae cedere coacta est. Inter ejus poetas praeter Aristophanem Eupolis prae ceteris dignus est, qui commemoretur, qui in sua aetate omnino fere subsistens reipublicae Atheniensium labes et vitia notabat. [52]) Sin politicam horum temporum parabasim missam facimus, antiquiorem illam hac politica parte (anapaestis) destitutam fuisse conjicere possumus, et restant stropha cum antistropha, epirrhema cum antepirrhemate, quorum haec natura fuisse videtur: stropha illa lyrica deus invocabatur Dionysus vel alia numina, si forte demonstrari poterit, in aliis quoque diebus festis parabases factas esse, epirrhemate, quod non ab initio inde cum stropha conjunctum, sed postea additum fuisse ex ipsius vocis notione quodammodo conjici licet, poeta, qui ipse his temporibus chorum ducebat, verba ad spectatores faciebat non sine singulorum virorum irrisione ludicrisque rebus passim interpositis. Epirrhema initio prosa oratione compositum et ex tempore fusum fuisse verisimile est, sed certi hac de re nihil effici potest. Phallophoros quoque non uno tenore cantatos, sed e variis partibus compositos fuisse Antheae Lindii apud Athenaeum

---

[50]) Schol. Aristoph. pac. 1126: *Ἔχον καὶ ἐν ἐκθέσει κῶλα ὅμοια τρία, πλὴν τοῦ τρίτου δίμετρα ἀκατάληκτα.*

[51]) Schol. Aristoph. ran. 698: *Τὸ τοιοῦτο παράβασις καλεῖται, ὅπερ ἔλεγον ἐπιστρέφοντες πρὸς τοὺς θεωμένους· ἔστι δὲ ὁ τρόπος ὅταν καταλιπὼν τὰ ἑξῆς τοῦ δράματος ὁ ποιητὴς συμβουλεύῃ τοῖς θεωμένοις ἢ ἄλλο τι ἐκτὸς λέγῃ τῆς ὑποθέσεως.*

[52]) Athen. X. p. 526. Schol. Aristoph. nub. 350. Galenus se libros tres *περὶ τῶν παρ᾽ Εὐπόλιδι πολιτικῶν ὀνομάτων* composuisse testatur; idem Platonii verba affirmant, totas ejus comoedias politicas esse non solum parabases, eumque de rebus, quae ad rempublicam spectarent ut dicendi copiam haberet, legumlatores ex orco duxisse, sed ex iis conjici nequit parabases ejus non politicas fuisse.

exemplo [53]) demonstrari potest, qui comoedias fecit et multa alia in eodem poesis genere suis phallophoris praecinebat. [54]) Utrum parabasis ab initio antistrophica fuerit, nec ne, quaeri potest, mihi quidem hoc Aristophanis thesmophoriazusis verisimilius fit, quorum parabasis antistropha caret. Est igitur stropha, si verum est, quod docuisse nobis videmur, vel potius oda Dionyso cantata totius parabasis radix, cui mox epirrhematicum carmen addebatur, et hanc antiquissimam comoediae simplicem formam fuisse putarim. Thierschius igitur, id quod jam supra indicavimus, bene dixit, parabasim veterem comoediam in nuce quodammodo continuisse, si hanc antiquissimam parabasis formam in mente habuit. Ceterum hac de re pluribus disputaturi sumus, quia ex ea Graecae comoediae dignitas et gravitas originem duxisse videtur, quum non sicut aliorum populorum comoediae ex inani tempus fallendi studio profecta sit, sed ad ipsum deum colendum referatur.

In parabasis forma et natura constituenda ita versati sumus, ut primum eam ab ipsa comoediae fabula ceterisque chori canticis secretam examinaremus, et quae essent in ea chori conversiones, quae metrorum et saltandi ratio demonstrare conaremur; jam de eo quaerendum erit, quomodo illa ad reliquas comoediae partes ipsamque fabulam se habeat. Qua de re virorum doctorum opiniones mirum in modum inter se differunt, quum alii nullam omnino inter parabasim ceterasque comoediae partes necessitudinem intercedere contendant, alii a priore de ea statuant, et quae facta esse opinentur, mira audacia contendant necessitate quadam, nescio qua, ita facta esse, alii denique arctioribus vinculis parabasim cum reliqua comoedia conjunctam esse profiteantur, sed neque qualia sint demonstrent, neque ex interiore et comoediae et parabasis natura illa deducere conentur. Inter illos vetus est schol. ad Aristoph. Plut. 627: *Σημειῶσαι ἐνταῦθα, ὅτι δέον χορὸν διὰ μέσου θεῖναι, μέχρις ἂν ἐκεῖνοι ἐς Ἀσκληπιοῦ ἐλθόντες ἀναβλέψαιεν τὸν Πλοῦτον, ὁ δὲ παραχρῆμα τὸν Καρίωνα εἰςφέρει εὐαγγελίζοντα τοῖς γέρουσι περὶ τῆς τοῦ Πλούτου ἀναβλέψεως ἐποίησε δὲ τοῦτο οὐκ ἀλόγως, ἀλλὰ τῇ τε τῆς νέας κωμῳδίας συνηθείᾳ, ἐν ᾗ αἱ παραβάσεις ἐπαύσαντο (ὡς προείρηται) καὶ ἅμα δεῖξαι βουλόμενος, ὡς ἄρα τάχιστα πάνυ ὁ Πλοῦτος ἀνέβλεψεν.* Scholiastes igitur hoc loco parabasim desiderat, et Carionem ab Aristophane in medium adductum esse narrat, quum ex mediae comoediae more parabasis fieri non soleret. Sed si quaeris quam ob causam hoc loco parabasim exspectaverit, facile vides, hoc ideo factum esse, quod ineptum esse scholiastae videbatur, Carionem, quum Plutus vix et ne vix quidem e scena abiisset, redire et recuperasse eum oculorum usum narrare, et quod tempus ad Pluti ex Aesculapii templo reditum parabasi aptius expleri putabat. Scholiastae igitur haec opinio fuisse videtur, parabasim in comoedia tempori explendo inservire, eamque histrionibus e scena deductis, quum poetae interresset, ut temporis spatium intercederet, quo histriones vires defatigatas reficerent, commoediae interpositam esse. Eandem fere sententiam Kannegiesserus loco supra laudato non solum de parabasi, sed de omnibus chori comici canticis protulit, quum diceret: nullam omnino necessitatem intercedere inter chori cantica et histrionum sermones, per vices chorum et histriones cantilenas et sermones fudisse, alterum alteri recipiendi

[53]) Athen. X. 444. c.

[54]) Hic locus a Kolstero, ubi docte de phallicis cantilenis loquitur, non animadversus est.

spiritus tempus dedisse, sed scholiastae opinionem paulo immutans pergit et choro majorem dignitatem vindicat. Quae de secunda ista opinione diximus ad Roetscherum v. cl. pertinere quisque vel non monitus suspicabitur, qui nimiam hujus viri in comoedia ex arbitrio constituenda audaciam cognitam habet, qua ut alliciat imperitos, doctiorum tenebit neminem. Quod tertio loco posuimus primus Kolsterus noster protulit, sed id quod jam supra indicavimus non satis idoneis argumentis hanc suam sententiam confirmavit. Parabasim locum habere dicit, ubi parte quadam fabulae finita spectatori aliquo tempore opus esset, ut animum a ridendo remitteret, ad quam rem probandam Aristophanis equites, aves, nubes in medium profert. Sed de hac re non quaerendum erat, quum dubitari non posset, quin Aristophanes ceterique comoediae scriptores parabasim in comoediam idoneo loco inseruissent; sed id animadvertendum erat, unde factum esset, ut omnino tale chori canticum in comoedia reperiretur, et quomodo cum ceteris ejus partibus cohaereret: nam hoc eo non satis apte explicari, quod spectatoribus parabasi animum a ridendo remittendi tempus detur, facile est ad intelligendum. Sed Kolsterus ipse hoc perspexisse videtur, et e chori comici natura cum ea, quae in tragoedia locum habet, comparata hanc rem explicare conatur, et invitus eo perducitur, ut id quod antea negaverat: ullam intercedere necessitatem inter parabasim ceterasque comoediae partes, ipse concedat. [55]) Comoediae non eas a poeta partes mandatas esse, ut spectatorum animos duceret atque doceret, sed contra comicum chorum se totum spectando dare contendit, vehementius studiis effervescere et tam parum stultitia vacare, ut ipso habitu eam nonnunquam prae se ferret, unde fieret, ut histrionibus e scena remotis statim rerum actarum plane oblivisceretur et de se suisque rebus, de poeta ad spectatores verba faceret. Sed praeterquam quod hoc non verum esse ex avium, [56]) nubium aliisque parabasibus apparet, cur cetera chori carmina non eodem modo ad spectatores dirigebantur? cur duae tantum parabases fiebant eaeque eodem fere modo inter se differentes, cur semper artificiosam illam e tot partibus compositam formam retinebant? Certe neque hac neque ulla alia ratione explicari poterit, cur tam artificiose compositum chori canticum comoediae interpositum sit, quae nullis nonnunquam vinculis cum histrionum sermonibus contineri videatur, nisi ab initio eam ad comoediam pertinuisse vel potius illam effecisse demonstrari poterit. Sed de hac re, quum ad ipsas parabasis origines pertineat, postea dicendum erit. De illa autem quaestione, non necesse est, ut eaedem res in parabasi tractentur, quae in

---

[55]) Postea, ut sibi constare videretur Kolsterus, hanc sententiam addidit. Dissolveretur autem ita omnis comoedia, atque ipso comoediae nomine foret indigna, nisi haec omnia, quae sine ullo fine videntur fieri, poeta ethica notione complexus i n o p i n a n t i t i b i integram fabulam efficeret. Sed quae est illa ethica notio? in quo conspicitur? quomodo in Aristophanis comoediis demonstrari potest?

[56]) In avium parabasi commation iis quae praecedunt arctissime annectitur. Epops ceterique e scena abierunt, sola Philomela cum choro relicta est, ad quam commation dirigitur ab eaque quaeritur, ut *κρέκουσα καλλιβόαν αὐλὸν φθέγμασιν ἠρινοῖς* anapaestos incipiat (*ἄρχου ἀναπαίστων*). Jam chorum, conversione, de qua supra locuti sumus facta, spectatores alloquitur eaque quae antea a Pisthetaero de sua origine et dignitate didicerat paulo copiosius enarrat, ita ut quae antea universa dicta sint, nunc ad Atheniensium mores referantur singulorumque hominum Prodici, Orestis etc. faceta vellicatio addatur.

reliquis comoediae partibus, sed hoc nonnunquam fieri de avium parabasi constat, neque alia non suppetunt exempla, ubi parabasis cum iis quae praecedant melius cohaereat, quam reliquae comoediae partes inter se conjunctae sunt. Sed ut omnes comoediae partes praesertim ironia illa, [57]) quae in omnibus eadem reperitur, continentur, sic ipsa parabasis eodem vinculo cum iis conjuncta est. Quae enim est, ut ita dicam, unitas in avium fabula, quae in expositione, quae in singularum partium nexu? ubi est vinculum quo conjungantur, nisi eadem illa ironia, quem totius comoediae nervum esse diximus? Sin haec est ethica illa Kolsteri, de qua supra locuti sumus, notio, sponte cum eo consentimus; si modo id nobis concedat, eandem non solum ad parabasim, sed ad omnes comoediae partes, quin etiam ad singulas sententias ipsaque verba pertinere.[58]) Praeterea hoc concedendum est, parabasim in universa quidem idea illa versari, in qua tota comoedia quasi in cardine quodam rerum versatur, quam ob causam nubium parabasis ad philosophiam, equitum ad judices, avium ad rempublicam praesertim spectat.

De parabasis primordiis disputationem, quae cum ipsius comoediae origine arctissime conjuncta est, quo minus accuratius pertractemus fines, qui huic disputatiunculae concessi sunt, impediunt, quam ob rem, quae singulis veterum scriptorum testimoniis comparatis certa vel probabilia doceri posse viderentur, succincte proponere, quam impedita singularum rerum enarratione virorum doctorum taedium movere maluimus. In eo autem a plerisque, qui de comoediae primordis apud Graecos disputaverunt, peccatum esse putarim, quod non satis accurate ludos scenicos examinaverunt, quales fuerint, quaenam sit interior eorum quae dicitur forma, et quomodo exculta et immutata sit. Ut enim perspectis rei cujuscunque causa et origine ejus vis et natura melius intelligi potest, sic cognita ejus natura et ratione fontes quoque, e quibus manavit, melius possunt reperiri et exquiri accuratius. Nam quid est cur origines rerum sectemur, nisi origines rei naturam, natura origines illustrat? [59]) In hac de parabasis origine disputatione ab Aristotele, locupletissimo teste, initium faciendum est, qui disertis verbis tradit, comoediam quanquam ejus primordia obscuriora essent, quam tragoediae aliorumque poesis generum, e phallicis cantilenis originem duxisse. Cantabantur phallica [60]) carmina in sollenni pompa ad Dionysi honorem, dei laudes non sine lascivia hominumque impotentem continebant vellicationem. Quae fuerit phallicorum carminum lascivia ex Acharnensium [61]) loco, comparatis posterioris temporis ithyphallis et phallophoris apparet, qui

---

[57]) Aristoph. av. 301, 444 etc.

[58]) Pollux. IV. III.

[59]) Schoell. de com. Gr. primord.

[60]) De phallicis rebus Dionyso sacris, cf. Lucian. de dea Syria apud schol. Aristoph. nub. 71: *Φαλλοὺς Ἕλληνες τῷ Διονύσῳ ἐγείρουσιν* etc. etym. m. v. *φαλαῖκος*: *φαλαῖκον ποίημα αὐτοσχέδιον ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενον.* Schol. Aristoph. 261, ubi pro *καρπὸν* legendum est *θεόν*. Athen. XIV. 622 a, seq. et VI. 253. d.

[61]) Aristoph. Acharn. 259. Hoc etiam loco apparet in pompa cantatum esse phallicum carmen, cujus certus ordo a Dicaeopoli constituitur; prima virgo *κανηφορός*, eam Xanthias servus phallum gerens sequitur, ipse denique Dicaeopolis; et ne rei spectatores desint, mulierculam in domus tectum ascendere jubet, unde phallicam pompam

quanquam ab antiquis illis quibus comoedia originem debet diversi, tamen quodammodo eorum indolem retulisse existimandi sunt. De posteriorum temporum phallicis cantilenis locus est maximi momenti apud Athenaeum, cujus jam supra mentionem fecimus. Praeterea Ath. VI. 253. d.; passim Aristoph. scholiast. et Lucian. de dea Syr. Apud Athenaeum varia earum genera discernuntur, de quorum discrimine reperiendo accurate disputat Kolsterus. Ipsa phallicorum fragmenta, quae apud Athenaeum servata sunt, eandem speciem prae se ferunt, quam supra in universum harum cantilenarum fuisse diximus. Primum autem eorum afferre operae pretium erit, quum et argumento et ipsa forma parabasi simillimum esse videatur:

Ἀνάγετ᾽ εὐρυχωρίαν — ποιεῖτε τῷ θεῷ,
ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος
διὰ μέσου βαδίζειν!

De metro, quum antea haec verba nulla ejus ratione habita scriberentur, primus cogitavit Tyrwhittus, quem secutus est Fiorillo; ille primum versum sic exhibet:

Ἀνάγετ᾽ ἀνάγετε κῶμον, εὐρυχωρίαν

Facile vides quam invita Minerva. Kolsterus trochaicos versus restituere conatus, secundum versum ita protulit: *τῷ θεῷ ποιεῖτε.* Carmen sic constituendum est:

Ἀνάγετ᾽ εὐρυχωρίαν
τῷ θεῷ ποιεῖτε,
ἐθέλει ὁ θεὸς
ὀρθὸς ἐσφυρωμένος
διὰ μέσου βαδίζειν.

Sunt numeri trochaici, metrum in parabasi usitatissimum.

Si cantilenas ithyphallicas ab Athen. VI. 253. d. allatas examinaveris, posteriorum temporum phallica carmina, quae in Demetrii honorem canebantur, ab antiquis illis plane diversa fuisse, facile perspicies, et sponte profiteor, me non videre quo jure tali encomio hoc nomen tributum sit. Sin quaeras, quaenam comoediae pars ex hisce cantilenis orta esse possit; de dramaticis, quae proprie dicuntur, omnino negandum est, quum certum sit, comoedias primis illis temporibus a solo choro actas esse, et phallica carmina dramatis nec formam nec naturam habuisse. De reliquis chori cantilenis cogitari nequit, quia forma et argumento diversissimae sunt et ipsius sermonis color aliam originem prodit. Concedendum certe est Acharnensium chori cantilenam phallicam esse, vel certe ad talis cantilenae imitationem compositam, sed haec ab omnibus aliis Aristophanis et universae veteris comoediae, tam diversa est, ut hac ipsa re, quantum sit inter chori comici carmen et phallicam cantilenam discrimen facile appareat. [62]) Quum vero traditum sit, ea carmina Dionysi laudes et singulorum hominum irrisionem continuisse; jam ipsa eorum natura facile eo adducemur, ut parabasim eam comoediae partem esse statuamus, quae ab iis originem duxerit. Adde quod constat, pristinis illis temporibus ipsum poetam choreutam fuisse, et chorum in scenam produxisse, quod Aristophanis tempore a nullo comoediae poeta factum esse certum est. Sin parabasim posteriore tempore, eo fortasse, quo politicas res tractare coepit, illatam esse putas: quomodo explicare

videat. Invocatur *Φαλῆς* deus, qui fingitur Dionyso conjunctissimus, cujus mentio apud Sophronem facta est (*Φαλῆς κατακυπτάζει*) ejus nomine passim interposito.

[62]) Hic afferre liceat, quod supra jam allaturi eramus de discrimine, quod inter priscas et recentiores phallicas cantilenas intercedit, ab ipso phallici carminis scriptore (Athen. 622. c.) indicato: *οὔτι ταῖς πάρος κεχρήμεθα ᾠδαῖσιν.*

possis non video, chorum in parabasi poetae quasi persona induta loqui, nisi si hoc e pristino illo tempore, quo idem fuit poeta, idem choreuta repetendum esse putas. Quo accedit quod posterioris temporis phallicus chorus eodem fere modo ad spectatores convertebatur, quid quod ipse Athenaeus l. l. de ejus conversione voce παρέρχεσθαι utitur, quo parabasis ad spectatores progressus significari solet, et paulo antea ἐπιστρέφειν, qua de re supra diximus. Sed in phallicis carminibus singulorum hominum cavillationem et irrisionem non in ipso hymno locum habuisse probabile est, et omnino placet Kolsteri (p. 60) opinio, in phallicis cantilenis epirrhematicam partem fuisse. Quae quum ita sint, eandem omnino vindicabimus formam et naturam phallico carmini, quae initio in parabasi obtinebat: erat hymnus in Dei honorem cantatus, qui ipse ebrietatis et lasciviae prae se ferebat speciem, cui epirrhema a chorago vel potius ipso poeta succinebatur. Priorem partem popularia carmina continuisse, quae sine altioris artis cultura, tamen numeris quibusdam adstricta a patre filio traderentur probabile est, posteriorem autem αὐτοσχεδιαστικόν fuisse certissimis testimoniis constat. Comoedia autem, quum postea artificiosius excoleretur et ad tragoediae exemplum alias quoque chori cantilenas reciperet, hanc partem, quae populo in deliciis erat retinere debebat, et retinebat ita ut ex scenae usu immutaretur ideoque a phallicis cantilenis, quae alia ratione et alias ob causas mutarentur, plane diversa fieret. His ita constitutis vereor, ne Thierschii opinio illa de qua supra diximus ingeniosior quam verior sit: parabasim e comoedia illa pristina concretam esse; quum ille in universum certe verum vidisse sed quomodo hoc fieri potuerit non bene docuisse, ne dicam perspexisse putandus sit. De Aristophanis enim artificiosa illa parabasi quae docet tantum aberant ut nobis probarentur, ut omnino falsa esse contenderemus.

A phallicis igitur cantilenis comoediam originem duxisse, parabasim autem et forma et natura a pristinis illis cantilenis non multum differre docuimus; parabasis igitur germen est, e quo varia comoediae genera creverunt et efflorescebant.

Nunc restat, ut de ipsis commoediae primordiis videamus et quaeramus, an quae de prisca illa scenicorum ludorum forma et natura memoriae tradita sint, cum parabasi comparari possint atque conferri. Quaerendum erit de ludicris illis cum Apollinis sacris apud Dorienses conjunctis (Delphis χάριλα, Plut. quaest. Graec. 12, Deli παίγνια, Callim. hymn. Del. 316, et fortasse Deliacorum γέρανος eodem referendus est), quaerendum erit de dicelistarum et mimelarum apud Lacedaemonios epirrhematicis lusibus (Suid. v. Σωσίβιος, Nonnus Dion. XIV. 16, Athen. XIV. 621. d, Müller Dor. II. 343, Grysar de Dor. comoed. p. 18.). Ipsius Dianae dies festi non negligendi erunt, imprimis Derrhiatidis et Caryatidis (Pollux IV. 14, Hesych. v. βρυλλοχισταί). (Pisae Dianam Κορδάκα fuisse Pausan. VI. 221. narrat.) Animadvertenda sunt Cereris στήνια ceteriqne mimi, qui thesmophoriis agebantur, et ipsorum natura accuratius investiganda (Athen. V. 181. c., Pausan. Achaic. 27. 4., Herod. V. 83., Suid. v. γεφυρίζων, Hesych. γεφυρίσαι et στηνιῶσαι, Phot. eodem verbo). Ipsorum Bacchicorum ludorum initia prae ceteris examinanda erunt apud Megarenses, Athenienses (qui Anthesteriis et Thargeliis agebantur), apud Siculos, Tarentinos, Epidaurios et Naxios; dicendum erit de Epicharmi et Phormidis comoedia, et ex ipsius Atticae comoediae fragmentis docendum erit, quae diversis temporibus parabasis ratio et natura fuerit.

Jahresbericht.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

A) Statistische Verhältnisse des Gymnasiums von Michaelis 1834 bis 1835.

1. Lehrercollegium.

A) Ordentliche Lehrer.

1. Dr. *Ernst Nizze*, Director.
2. Dr. *Ferd. Hasenbalg*, Prof. Conr.
3. Dr. *Friedr. Cramer*, Prof. Subr.
4. Dr. *Hermann Koester*.
5. *Johannes v. Gruber*.
6. Dr. *Ernst Heinr. Zober*.
7. *Joh. Karl Fischer*.
8. Dr. *Joh. Fr. W. Tetschke*.
9. *Karl Fr. Aug. Rietz*.

B) Ausserordentl. Lehrer.

1. *E. D. Gsellius*, Subr. Em.
2. *J. W. Brüggemann*.
3. *G. M. Tiede*.
4. *D. L. F. Fischer*, Musikdirector.

2. Allgemeiner Lehrplan.

Lehrfächer.	Klassen und Stunden. (R = Realklasse.)									
	I.	II.	III.	IV. a.	IV. b.	V.	VI.	R. III.	R. IV.	Summe
Lateinisch	9	9	10	10	10	8	8	—	—	64
Griechisch	6	6	6	4	—	—	—	—	—	22
Deutsch	3	3	4	4	6	6	6	—	—	32
Hebräisch	2	2	—	—	—	—	—	—	—	4
Französich	2	2	—	—	—	—	—	3	4	11
Englisch	2	2	—	—	—	—	—	3	—	7
Religion	2	2	2	2	2	2	2	—	—	14
Geschichte	4	3	2	2	2	2	2	—	—	17
Geographie	—	1	2	2	4	4	4	—	—	17
Mathematik	4	4	4	4	4	4	4	4	—	32
Naturkunde	2	2	2	2	2	2	2	—	—	14
Schreiben	—	—	—	2	2	4	4	2	∼ 2	14
Zeichnen	2	∼ 2	2	∼ 2	∼ 2	2	∼ 2	2	∼ 2	8
Gesang	2	∼ 2	2	∼ 2	∼ 2	2	∼ 2	—	—	6

3. Zahl der Schüler.

(Johannis.)

Klasse	waren	aufgenommen	versetzt	abgegangen	gegenwärtig
I.	25	—	11	11	25
II.	31	4	13	5	32
III.	40	2	21	15	33
IV. a.	56	6	22	11	52
IV. b.	33	2	44	11	46
V.	69	3	43	10	61
VI.	64	40	—	6	57
	318	57	154	69	306

4. Abiturienten mit dem Zeugnisse der Reife.

(Michaelis 1834.)

Universität.		Facultät.	
Berlin	2	Theologie	3
Göttingen	1	Jurisprudenz	1
Greifswald	6	Medicin	4
		Cameralwiss.	1